

1193

D O G M A T I C I.

1194

*credentes in eum*, continuo sequitur *Distinctio I. Cum intendat magister determinare, qualiter deus nos christo conuiuificauit &c.* et omissis IV. *Dubiis*, quae interferit Editio, *Articulus I. Ad intelligentiam uero hujus partis incidit hic questio &c.* Extrema consonant: *secundum quod in hoc libro explanatum est, sit omnis honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen.*

## DVII.

- U. 415 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 394. f. per duas columnas nitide scriptus, et minio distinctus easdem *Bonaventurae in III. Sententiar. Librum Quaestiones* eodem modo integras continet, ἀνεπιγχαφους quidem; sed ad calcem fol. 386. p. 2. habes: *Explicit liber tercius fratris bonauenture super sentencijs. Omnis laus in fine probatur.* Folia residua partim fragmentum ex *Operibus Guilelmi de S. Amore* saepius relatis, partim *Tabula in Quaestiones* memoratas occupat. Corio Thecae exterius octies impressum est Sigillum Sacerdotem sacris operantem ad elevationem calicis exhibens cum Perigrapha: *S. Praepositi. In Mirica.* Quidam *Myricam* interpretantur *Heyde*, quo nomine fuit Coenobium Virginum olim in *Hassia*, quibus sui Ordinis Vir *Praepositi* nomine invigilare solet, item Urbs *Bohemiae*, cujus Praeposituram *Zischka* a. 1421. evertit.

## DVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 933 XIV. Folior. 119. f. per duas columnas nitide, multis tamen uocum compendijs, exaratus, coloribus distinctus, et quondam Collegii S. J. *Viennae* Commentarius est in L. I. *Sententiarum Petri Lombardi* inscriptus laconismo *Opus Petri.* Est uero *Petrus* hic a loco natali dictus *de Tarentasia* ex Ord. Praed. ad sedem *Petri* sub nomine *Innocentii V.* adsumtus, quam a. 1276. morte destituit. Plura de eo *Bibliothecarii Ordinis* et *Ciaconius* in *Vit. Pontiff. T. II. col. 203.* Opus incipit: *Nunquid nosti ordinem celi — — Job XXXVIII. Verba ista sunt domini, ad beatum iob. ipsum sicut magister discipulum examinantis &c.* Extrema sunt: *per quod genus humanum redemptum est. Prestante eodem redemptore qui est benedictus in secula seculorum. Amen. Explicit liber primus sententiarum. deo Gratias.* Sequitur *Elenchus Quaestionum*, et ad hujus calcem: *Explicitunt problemata primi libri sententiarum. Et sunt CCCCIII.*

## DIX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 439 XIV. Folior. 82. f. per duas columnas multis uocum compendijs exaratus, et coloribus distinctus inscribitur: III. (Liber) *Fratris Petri Super Sententias.* Est is *Petrus de Tarentasia*, de quo *Codice*